

dus esset, aut alia aucupanda commoditas. Baculo deinde applica Instrumentum, Regulamq; A E. volve perpendiculariter, ita ut Dioptram G sursum volvas ad E & perpendicularum cum circulo minuto ei appendas. Vnde quam rectissimè disponere poteris Instrumentum. Visus tunc sit per Dioptram H. & Dioptram A ad locum illum, in quem derivare cupis fontem. Reperiens igitur, visum tuum superiorem esse loco illo, facile judicabis, fontem illuc derivari posse: at si visus eo loco sit inferior, colligere tibi licet, fontem illuc deduci haud posse: scatebra siquidem altior sit oportet illo loco, in quem debet deduci.

## CAPUT XXIX.

*De Instrumenti usu, ad explorandum, utrum fons ex scatebrâ suâ deduci possit in castellum vel oppidum vicinum, quando ambo haec nequeant videri.*

**A** D isthac explorandum sic operare: Dispone Instrumentum ad scatebram a. juxta doctrinam capitis præcedentis: tunc visus sit per Dioptram A F. in metam vel collem aliquem: ad locum quādoquidem quæsumum visus penetrare nequit. Hanc metam, notatam littorâ c. nota diligenter. Assunto dcinde Instrumento cum Baculo montem vel collem concende, unde metam c. & locum, in quem fontem derivare cupis, probè videre possis: & dispone Instrumentum perpendiculariter, ut antea quoque dispositum fuit, & collima in metam c. superabisque Dioptrâ & collimatione tuâ hanc metam: mons siquidem altior est. Tunc igitur volve Regulam A F. deorsum, tantisper, dum metam c. secundum directum videoas. Inde semicirculo & Regulâ A E. immotis manentibus, Instrumentum cum Baculo dirige versus castellum e. in Figura notatum: ita tamen ut Regula A E. perpendiculariter erecta stet:

G 3